

# De Orthographia Latina

1. *Cur iterum de orthographia latina?*—Cum de re agatur haud parvi momenti multisque difficultatibus implicata, quamvis de eadem pluries jam consulto aut obiter disputaverim <sup>1</sup>, amicis hortantibus ne dicam prementibus, placuit mihi fusius iterum, quam mos est, de orthographia latina disserere meamque totam sententiam explanare. Jam vero mentis cogitata hac triplici partitione expromere curabo:

I.—Praenotanda quaedam

II.—De orthographia historica.

III.—De orthographia practica

## I.—PRAENOTANDA QUAEDAM

### A.—MOMENTUM ET GENERA ORTHOGRAPHIAE LATINAE

2. *Rei momentum.*—Atque in primis de hujus rei momento atque praestantia. Non dubito quin futuri sint plerique qui leve et intempestivum autument nos de orthographia latina <sup>2</sup>, nunc iterum de industria agere; tamen tanta est hujus rei

---

<sup>1</sup> *De orthographia latina*, «Palaestra Latina», nn. 66-74 (1941-1942). *La ortografía latina*, «Helmantica» 7 (1956) 209-260. *Normas metodológicas*, «Helmantica» 1 (1950) 41-45: *Reglas ortográficas*.

<sup>2</sup> QUINT. 1, 7, 3... *redit illa cogitatio, quosdam fore qui haec quae diximus parva nimium et impedimenta quoque majus aliquid agentibus putent.*